



*Lbc. 70.*

D. CHRIST. AVG. CRVSII

OBSERVATIONES

DE

V S V

VOCABVLI NOMOΣ, LEX,

S I G I L L A T I M

IN EPISTOLA S. PAVLI AD ROMANOS.

SECTIO SECUNDA.

PROPOSITA

IN ACADEMIA LIPSIENSI

FESTO NATIVITATIS CHRISTI

C I C I C I C I C I

**P**ergimus iam, ubi nuper substitimus. \*) Notato enim scopo et contextu sermonis S. Pauli per totam epistolam ad Romanos, planum facere per inductionem locorum instituimus, qualis acceptio verbi νόμος, LEGIS, cuiilibet loco conueniat et tribuenda sit. Antea vniuerse ostendimus, primum νόμον, generaliter totum verbum Dei scriptum significare, sed strictiori significatu denotare Scripturam S. quatenus de operibus ab homine faciendis praecipit, nec non quomodo strictior haec verbi acceptio e latiori illa nata sit. Enarrauimus introitum in causam, quo Apostolus usus est, scilicet quod ex corruptissimo gentilium ac Iudeorum statu perspicuum sit, utrosque iudicii diuini reos esse, nec absque gratia Christi iustitiae et salutis spem ipsis esse posse, sed gentiles perituros esse sine verbo Dei scripto, Iudeos autem per Verbum Dei s. legem iudicandos fore, Rom. II, 11. 12. De tempore, quando hoc iudicium Dei euenturum sit, pergit oratio v. 16. Sed interserit statim v. 13-15. quasi per parenthesin, vindicationem aequitatis rei assertae.

Scilicet oppido ineptum esset sibi persuadere, in iudicio Dei, quod semper et necessario secundum veritatem sit, (de quo v. 2.) iustos declaratum iri, qui audierint legem, nempe verbum diuinum, non qui ei obtemperauerint, v. 13. Subaudi statim, quod iam teste insinuat, et mox apertius dicet, legem, s. Scripturam, testari eam iustitiam, quam nunc docet Euangelium, qua repudiata, an satis erit, audisse legem? Quo tamen figmento, quamlibet insulso, tamen Iudei ne sic quidem lucrarentur quidquam, iactantes hoc, quod legem habeant, et ἐννοοῦ nati eam Φύσει quoque habeant, lectamque in synagogis assidue audiant. Nam Apostolus recte ad aliud prouocat, videlicet quousque duntaxat de ἔργῳ νόμος, opere legis, quaeratur, quippe quo solo Iudei Euangelium repudiantes confidebant, aliquid legi scriptae aequiualens tamen inter gentes pariter reperiri, quod ubi sufficerit habuisse, non seruasse, sequeretur, ne gentiles quidem Iudeis inferiores esse, sed pariter iustos, quemadmodum Iudei. Spectando enim opera legis, quidnam interest inter Iudeum et gentilem, nisi quod is scriptam asseruat legem, videlicet in lapidibus primum, deinceps in libro scriptam, gentiles vero destituti lege literis exarata gestant eam mentibus inscriptam, quo ipsimet sibi pro lege sunt? Nam profecto qui vlla in re aliquid sibi religioni dicit, quod nemo non facit, certe nonnunquam facit, is hoc exemplo demonstrat insitum iusti et iniusti sensum, cui si non obtemperauerit, reum se

\*) In programm. Feste Reformat. proposito.

se fatetur, pariterque se reum neglecti officii ostendit, si non in omni rerum genere ad hoc ante omnia attenderit, quid iustum sit vel iniustum. Testatur conscientia consequens, qua cogitationes se inuicem accusant vel excusant, de praecurrente principio cognoscendi iustum et iniustum. Omnes igitur gentes habent legem. In animo scriptam omnes habent; Iudei habebant quoque scriptam in libro. Imo audiunt etiam omnes homines vocem legis loquentem; vniuersi quidem per dictamen, morsus, testimonium conscientiae, insuper Iudei, assidentes lectioni in Synagogis, legem auribus quoque percipiunt. Quare audiuisse legem si satis est; si facit, vt, qui audiuerunt, iusti declarentur in iudicio Dei; iusti omnes erunt, quod absurdissimum foret: sin minus, confitendum est, non audienda sed facienda lege obtineri, vt in iudicio Dei ne condemnemur, sed iusti declaremur. Quo concessu non Iudei excellunt prae gentibus, si lege iustificandi sumus, verum etiam deteriori loco sunt, vti statim (v. 17-24.) docebitur. v. 13. *Non enim auscultatores legis iusti erunt coram Deo, sed, qui mandata perfecerint, iusti declarabuntur.* (Notes, iam non agi de salute humana vniuerse, quae quomodo obtingat, quaeritur, et Paulina deductione doceri debet, sed de sententia super re qualibet ferenda, quando excutitur coram tribunal Dei.) v. 14. 15. *Quando enim gentes eae, quae legem non habent natura,* (quemadmodum Iudei natura sunt nati Iudei ἔνοικοι Gal. II, 15. Rom. XI, 24. Similiter gentiles v. 27. dieuntur ἡ ἐν Φύσεως ἀνθρώπων). Attenditur, quid quisque natura sit, sive Israelita, sive gentilis) ea, quae legis sunt, faciunt, hae legem non habentes sibi met ipsi sunt lex (pro lege, quae Iudeis scripta data est:) quippe quae monstrant opus legis scriptum in suis cordibus, quocum simul testatur ipsorum hominum conscientia (consequens nempe conscientia), cogitationesque se aut accusant inuicem, aut etiam excusant. Iam subaudi: καὶ κειθήσονται, repetendo verbum ex fine v. 12. quamquam parum resert, si sequentia malis compingere statim cum v. 15. Nam sententia eadem manet, et verbum καὶ κειθήσονται subaudiendum, et ex ante dictis repetendum est, quia v. 16. dicitur εἰς ἡμέρας non εἰς ἡμέρας. Videlicet iudicium fiet in die, quando iudicabit Deus occulta humana, iuxta Euangeliū, quemadmodum a Paulo praedicatur, per Iesum Christum. v. 16.

Subiungitur dilucidatio, quam inanis sit fiducia Iudeorum in suis virtutibus, qua freti Euangeliū secure aspernabantur, cum potius tam flagitosi sint, vt ipsum Verbum diuinum propter illos a gentibus spernatur, et nomen Dei blasphemetur, v. 17-24. Pergit igitur v. 25: Tunc circumcisio prodesset, (honori et utilitati esset, C. III, 2. IX, 4. 5. seu tunc

## III

eset, cur tibi recte gratulari possis, quod progenie Iudeus, ideoque circumcisus sis) si, que sunt in lege, faceres (innuitur, quod tales Iesum Christum libenter agnitiuri essent, qua de re mox apertius C. III, 21.): sin vero legis transgressor es, circumcisio tua facta est praeputium (aeque es ac gentilis, nihil eo praestas). Propterea recte rogat Apostolus, annon gentiles secundum legem Iudeorum, scilicet secundum Scripturam S. Iudeis concreditam, reuera viuentes, (quo innuit, rectam legis intelligentiam non esse, nisi in iis, qui Euangelium suscipiunt, pungitque Iudeos conuersis e gentilibus infensos) rogat, inquam, annon tales gentiles, secundum legem reuera viuentes, Iudeis genere et circumcisione nixis manifeste meliores sint? v. 26-29. Scilicet per Euangelium praestatur verum δικαιοποιία νόμος, i. e. quo ita iusti sumus, ut lex poscit, et praestatur conformiter Verbo diuino, at alia ratione, quam iustitia ἐξ ἔργων, ex operibus, cuiusmodi iustitia in homines, ut nunc sunt, non cadit, Cap. III, 21. VIII, 3. 4. Hactenus Paulus disputat cum Iudeis ex indubie concedendis, quamquam nondum expresse addens, quae post haec dicturus erat, quibus hucusque viam praestruere volebat, videlicet quod non viuitur secundum legem, repudiando Christo, postquam Christus venit, qui scopus legis est, C. X, 3. 4. nec salus impetratur tenenda lege, si gratia Dei non agnoscitur, extra quam ne lex quidem iustitiam et salutem promisit, sed iustitia perperam ex operibus legis stabilitur, cuiusmodi iustitiam lex nequaquam docet, sed potius exponit promissiones de gratia et venturo Saluatore humano generi datas, atque interim arguendis peccatis, et futura peccati expiatione adumbranda, eiusque necessitate proponenda, ad iustitiam gratia Dei consequendam deducit et adigit. Admirabilis est haec Apostoli prudentia, qua satagit, cum fastum Iudeorum frangere, ne inuidient gentibus, tum incitiam instruere, ut in consueta legis ostentatione animaduertant, spreta gratia Christi, nil spei ipsis relinqui in ipsa lege, nil excellentiae prae gentibus e dignitate illa, quod Iudei sacra Deo gens sint, ab accepta lege, v. 26-29. Ergo si gens incircumcisata recte seruat, quibus iustos censeri iuxta legem oportet, annon praeputium eius pro circumcisione (vtrumque aequa et perinde) habebitur? (Nempe tales erant Christiani e gentibus conuersi; vim legis recte tenebant, et suscipiendo Euangelio legem Moses et totam Scripturam V. T. recte honorabant.) Et iudicabit, qui naturaliter incircumcisus est, sed, quae in lege sunt, accurote perficit, te, qui, et si litera et circumcisione veteris, transgressor legis es. Non enim is Iudeus (verus, Deo placens, potestati nominis respondens) est, qui est modo epervet et sensibili, neque ea, quae palam in carne sit, est (vera et Dei consilio satisfaciens)

circum-



*circumcisio. Sed qui est occulta ratione, Iudeus verus est, et est (quae vere cernitur et a Deo intenditur) circumcisio cordis, quae spiritu fit, non litera, (ut per Spiritum S. animo segregatus sis a colluui malorum, quemadmodum signo circumcisionis Abrahamidae a reliquis gentibus segregati et Deo sacrati sunt, non ut ritus ad literam duntaxat obseruatus sit): cuius laus ex Deo est, non ex hominibus (i. e. cuiusmodi verus Iudeus approbatione diuina censetur, non laude humana.)*

At enim vero videri potest Apostolus, dum Iudeos pariter atque gentes de peccato arguit, iustitiamque ex operibus utrisque denegat, nec discriminem aliud agnoscit, nisi quod altera pars, quae peccauit sine lege, etiam sine lege damnatur, altera, quae lege usita est, per legem iudicetur, quod sane facit ad magis arguendos et damnandos Iudeos, propterea quod lege utentes magis scienter peccarunt, videri, inquam, Apostolus potest talibus proponendis nihil excellentiae Iudeis praegentibus reliquissime, universam oeconomiam Dei inter Israëlitas sustulisse, frustraneam declarasse. Sed secus hoc est. Quare obiectionem hanc statim attingit Cap. III. deinde uberiorius persequitur Cap. IX-XI. *Equiv ergo est, quo excellat Iudeus? vel quae utilitas est circumcisionis? Per multum est, omni modo. Primum quidem, quod ipsis credita sunt oracula Dei. (Reliqua sequuntur C. IX, 4. 5. Synonyma sunt τὰ λόγια τοῦ θεοῦ et ύπομνήσεις, seu ύπομνήσεις, IX, 4.) Nam quid inde, si qui non crediderunt? An, quod illi non credunt, efficiet, ut Deus fidem non seruet etc. Innuit iam breuiter, quod Cap. IX-XI. copiose tractat, nihil omnino de omnibus promissis Israeli factis frustandum esse, certo fore, ut nihil effectu careat, quamquam pars populi non credit, nimurum quia Deus verax est, et sui honoris causa exacte seruat, quae genti electae promisit.*

Incidenter hoc loco, per connexionem κατὰ τὸ συμβεβηκός, excursus fit ad occurendum alii obiectioni, et ad refellendam Euangelii calumniam a Iudeis excogitamatam v. 5-8. Nempe an fortasse Deus non irasci potest iniustitiae hominum, quippe qua sit, ut fides solius Dei magis laudetur, quando in hominibus nulla fides est? Similiter hodie exprobratur Christianis, quod docenda remissionem omnium peccatorum per solidam fidem, idque ad vindicandum solius gratiae Dei honorem, fores aperiant securitati et omnibus flagitiis. Respondetur negando, quia necesse est, Deum esse iudicem mundi, idque secundum veritatem v. 5. 6. *Sin vero iniustitia nostra Dei iustitiam commendat et illustriorem reddit, quid dicemus? an iniustus est Deus eam uincens? humano more dico. Absit: quomodo enim Deus mundum iudicaturus esset? Adhuc semel loquentem facit opponentem, ut proprius ad frequentem Euangelii calumniam reprehendam*

## VI

mendam veniat, v. 7. 8. Si enim veritas Dei ea re, quod ego fidem fat-  
to, cum maiori ipsius gloria spectata fuit; quid adhuc ego, ut peccator, in iu-  
dicium adducor: et annon efficietur, quemadmodum horrende nos caluminian-  
tur, et quemadmodum aliqui nos aiunt dicere, quod facere possimus mala, ut  
veniant bona (multum peccare, quo obtineatur hoc bonum, ut Deus gra-  
tiam suam vberim deponstret)? quos damnari ius fasque est.

Resumit ergo Apostolus v. 9. iniectam v. 1. quaestionem de eo, quo  
Iudei prae gentibus excellant, negatque, excellentiam illis tributam, cu-  
ius primam et praecipuam partem in eo inesse dixerat, quod Verbum  
Dei ipsis concreditum fuit, ad omnes res, quas illi factare soleant, ex-  
tendi. Sigillatim docet, eam de salute *ex operibus legis*, cuius Israëlitae  
custodes fuérint, nequaquam capiendam esse, quoniam hoc ipso Verbo  
diuino omnes omnino homines, ea, qua Paulus dixerat, ratione arguan-  
tur sub peccato esse, v. 9 - 18. quae verba sine dubio de Iudeis, non  
minus quam de gentibus, intelligi debeant propterea, quod ad Iudeos  
dicta sunt v. 19. (Perspicuum est, ῥόμων v. 19. qui dicitur pro ἡγε-  
τη, ad quam remittit v. 10. illud: ναρθών γέγραπται, denotare vniuer-  
sam Scripturam S. Nam loca ex ῥόμῳ citata extant in libris Davidis et  
Salomonis, Ps. XIV, 2. 3. LIII, 3. 4. V, 10. CXL, 4. X, 7. Proverb. I,  
16.) Ex quo intelligitur, Scripturam S. quatenus homini opera facien-  
da praescribit, non iustificare hominem, sed arguere, v. 20. quoniam *ex*  
*operibus legis iustificabitur nulla caro coram Deo: nam per legem* (quatenus  
de operibus praecipit) *est agnitus peccati.* Lex officia praescribens, quae  
homines non seruárunt, vti praescripta sunt, non iustos declarat homi-  
nes, sed iniustos. Item ubi mundationes et expiationes statuit, admonet  
sane de immundicie atque de necessitate grauis demonstrationis ac vindi-  
cationis sanctitatis Dei, qui homines non sanctos pro sanctis habet, et ad  
sanctuarium suum peramanter admittit. Veruntamen etiam praeter ad-  
monitionem de re apta ad talem scopum, nihil in his statis ritibus, qui-  
bus expiabantur et mundabantur secundum legem, inesse potuit. Quapropter  
non sunt nisi typi futurorum honorum, quibus nec agnoscitur  
iustitia in homine, nam mundari debebat, nec datur, quia ad rem nihil  
attinent, praeterquam si futuri gratiae beneficii pignus, imago, admoni-  
tio sunt.

Sic itaque Apostolus lectores suos in eum deduxerat locum, ad  
quem tendebat, videlicet ut palam appareret, nec naturam rei, eumque,  
quo genus humanum nunc est, statum, aliter permittere, nec legem, seu  
Scripturam Sacram V. T. quidquam aliud docuisse et promisisse, nisi ut  
homines iusti sanctique fierent per Iesum Christum, dummodo eum fide  
recte



recte suscipiant, quemadmodum vult Euangelium, quod per Paulum et collegas per orbem terrarum annuntiabatur.

Sequitur igitur conclusio, quae totius epistolae arx et fastigium est  
 v. 21-31. *Nimirum sine lege, quatenus ἐργα, opera, poscit, per Christum Iesum via ad iustitiam patefacta est, eademque illa olim per legem, seu Scripturam sacram, v. 21. promissa et monstrata, sed quae per fidem in I. C. obtingit v. 22, quod necesse est ita fieri propterea, quod cuncti peccatores sunt, sed et accurate respondet typo expiationis in lege perscripto v. 23-26.* Ideoque omnis de suis operibus gloriandi occasio homini praecisa est, quoniam non constitutione de operibus faciendis, verum longe alia de fide in Christum constitutione, ad iustitiam peruenitur v. 27. Ex quo sequitur, ut homo fide sic iustificetur, ut in iustificationis negotio operum humanorum nullae partes sint v. 28. adeoque mirum non sit, Iudeis et gentibus idem iter ad iustitiam, et utrisque aequa, propositum esse v. 29. 30. sed perspicue potius pateat, docenda fide tali talique iustitia Apostolos non deserere legem, nec de vero sensu et doctrina legis quidquam diminuere, sed firmitatem doctrinae legis afferere et in clara luce ponere v. 31. Id quod uberiori illustratur toto capite sequenti, e libris Mosis praecepit, sed et e Psalmis, ut liquido constet, institutionem apostolicam cum tota lege, scilicet cum tota Scriptura sacra, non modo cum lege strictius apud Iudeos dicta, nempe Pentateuco, conuenire.

Audiamus ipsum Apostolum loquentem C. III, 21-31. *Nunc vero sine lege (videlicet sine operibus legis, adeoque sine lege, quatenus imperat opera, et arguit peccata, id quod subaudiendum est ex praecedenti v. 20.) iustitia Dei (quae diuino beneficio hominibus obtingit) manifestata est, cui testimonium datur a lege (libris Mosis) et a Prophetis, iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi (qua Iesus ut Christus agnoscitur et acceptatur). Neque enim discriminem est (ideoque res aliter fieri nequit). Omnes enim peccarunt, et destituntur gloria Dei (bonis illis splendidissimis, quae homines habituri erant et amplius a Deo sperare poterant, si nunquam peccassent), et iustificantur gratis illius ipsius gratia (benigna voluntate) per redemtionem eam, quae est in Christo Iesu (non per umbram et pignus expiationis, quam lex habuit, Christum eminus demonstrans, sed per rem praestitam nunc a Christo, qui est Iesus) quem proposuit Deus, ut sit propitiatorium (antitypus respondens Schechinae seu habitationi Numinis super throno cherubino, arcae foederis imposito, coram quo throno expiatio typica fiebat), per fidem (ut nunc non victima, non sacerdote, opus sit, sed duntaxat fide), in suo ipsius sanguine (non ut expiatio fieret sanguine bestiae caesae, quem olim in typo imbecillitas imaginis,*

## VIII

ginis, et necessitas diuidendi partes rei designandae inter varios typos, postulabat, sed ut idem Christus sit et sedens in throno gratiae et expiator et victima) ad demonstrationem iustitiae suae propter tolerationem peccatorum antea factorum, quum ea Deus ferret, ad demonstrationem, inquam, iustitiae eius in praesenti tempore, ut sit ipse iustus et iustificans eum, qui est de fide Iesu (qui est e credentibus in Iesum, illique fide adhaeret.)

Olim in publica et solenni omnium totius anni peccatorum omnis generis expiatione nihil notatu dignius est, quam quod expiationem fieri oportuit pro ipso Dei sanctuario, pro eius habitatione, pro altari, et quidquid sanctum erat, non tantummodo pro peccatis vel peccatoribus, quin immo non pro his praecipue vel primo loco, sed ita ut ab expiatione sanctuarii et altaris demum expiatio peccatorum populi, et consequenter eorum remissio, et veluti asportatio a conspectu Domini, duceretur, Leuit. XVI, 16. 18-22. coll. cum v. 30. 33-34. Ex quo manifestum est, elegantem illam picturam et symbolicam representationem rei a Christo peragendae hanc praecipue vim habuisse, ut monstraret, iustitiam Dei, quae laborare videtur et obscurari, quando peccata remittit, ideoque neglit, publica et graui demonstratione vindicandam et asserendam esse, peccatoribus autem veniam delictorum non alio modo decore dari, nisi eo ordine, ea lege et conditione, ut antea fiat, quantum satis est ad demonstrandam Dei sanctitatem, quomodo illa inuiolata permaneat, tametsi Deus habitat inter populum non sanctum, et poenitentes recipit, non securus ac si non peccasset, ideoque peccata non curat. Atqui in mactatione pecorum et sanguinis eorum adspersione nihil tale inest, vel inesse potest, quod faciat ad tollenda peccata: id est, quando peccata remittuntur, et aboletur reatus, quamquam factum infectum fieri nequit, attamen necesse est iudicium Dei secundum veritatem fieri; nihil inest in mactatione victimae, quod sufficere queat, et satis accommodatum sit ad publice declarandum, Deum immutabiliter sanctum esse, odiisse peccata, non frustra praecepsisse, non statuere eadem consequentia recte et male factis, non permittere ut virtus et flagitium apto consequenti careant, aut eundem habeant effectum, dignam sua sanctitate et iustitia sententiam ferre. Quapropter in toto illo instituto nihil inesse potest, nisi admonitio de reatu peccati et de inuiolabili Dei iudicis sanctitate. — Quae admonitio quia a Deo tum temporis pracepta erat, ut cum reliquis praceptis de conuersione peccatoris, cumque promissis diuinis de eius gratia et placabilitate, obseruaretur et teneretur; pignus boni futuri fuit, eiusque imaginem exhibuit. Et profecto quicunque animum ad ea attendit, quae literaliter ex verbo Dei de conuersione, ac consiliis gratiae Dei, cognita erant



erant, illi nihil aliud in mentem venire potuit, quando quotannis cum se-  
uerissimo<sup>m</sup> ieunio in die expiationis terribilem illam contestationem publi-  
co ritu sanctissime celebrari videntur, quo homines obiurgabantur, quod mor-  
te digni sint, sed ad spem veniae peccatorum ita erigebantur, ut nihilo  
minus Deus protestaretur, se sancte et severe iudicare, idque fuso sanguine  
victimae, quae propter imposita sibi populi peccata ex praescripto  
Dei mactabatur, cuiusque sanguis in adytum illatus et adspersus, altari  
illitus, denique ibi effusus, expiationi esse debebat, ne Deo ipsi habita-  
tio inter populum immundum probro esset. Atque hoc nosse fatis esse  
potuit tempore expectationis. Modus enim determinatus, quo olim ve-  
ra peccati expiatio euentura sit, non statim ab initio publicari potuit. Ne-  
que enim hoc decebat maiestatem Dei, nec rei natura permittebat, quia  
consilium Dei pro objecto admirationis propositum fuit ipsis etiam ange-  
lis, inter quos in primis mali angeli suis ipsorum laqueis irretiendi erant,  
ut coram tribunal diuino legitime causa caderent, et exuerentur ea pote-  
state, quam, postquam homines peccauerant, illis et statio angelica, qua  
vtebantur, et hominum a Deo defectio dederat.

Sed quando id, quod Iesus Christus primum de se praedixit, quod  
corpus suum pro hominum redēctione ad mortem traditurū sit, suum-  
que sanguinem, ut sanguinem noui foederis, pro impertienda hominibus  
credentibus remissionē peccatorum sit fusurus, deinde reuera praestitit, et  
ex morte redux denuo inculcauit, et in suo nomine conuersionem a pec-  
catis horumque veniam praedicari iussit, quando, inquam, quod Iesus praes-  
titit, cum priscis illis institutis in lege contendimus et comparamus; ne-  
mini sobrio obscurum esse potest, rem et typum rei, corpus et umbram,  
accurate sibi respondere. Atque ad hoc intelligendum Apostolus breui-  
ter hoc loco manuducit, vberiorem expositionem in epistola ad Ebraeos  
dedit, Cap. IX. X.

Cauendum est, nostris praesertim hominibus, qui saepenumero recen-  
tes verborum significatus priscis substituunt, eaque re vel in errores in-  
ducuntur, vel obscuritates reperiunt, vel male ratiocinantur, ne terminum  
expiationis, qui in religione patriarchali et Mosaica legalis et quasi  
technicus est, confundant cum mera reconciliatione animorum, qua discor-  
des in gratiam redeunt. Facile hoc sit, quia graece καταλλαγή, ἀπο-  
λύτησις, ιλασμός promiscue dicitur. Deus quum esset in Christo κόσμον  
καταλλάσσων, non iratus id fecit, sed misericordia vsus, at decorē fecit,  
ideoque iram aduersus peccata (Rom. I, 18.) publicē demonstrauit, idque  
factum per ιλασμὸν רְכִבָּה, eoque modo nobis contigit ἀπολύτησις, vin-  
dicatio ab ira futura, i. e. liberatio, quae fit praestito, quantum satis est,

et ab amante, et qui speciale ius ad talem rem habeat, ut sit נָשָׁלָה, liberator speciali propinquitatis iure vindicans. Modum rei gerendae ne angelus quidem excogitare potuisset. **¶** Enim vero quia consilium diuinum gradatim aperiebatur; et gratia quidem poenitentibus, nec non futurus vindex generis humani ab hoste non satis cognito, coque seductore primorum hominum, liberaliter promissus fuit; sed praeterea per ritus sacrificandi praenotio data est de instituto, quo publice monstraretur, quam poena morteque dignum sit peccatum, quam sanctus Deus, at quam certa spes veniae, dummodo credas Deo promittenti. terminus expiationis **¶** סְפִירַת הַמִּזְבֵּחַ solennis factus est in religione patriarchali, pariterque in eadem, vberius ornata ministerio Mosis. Ex illa quidem, quia conditoribus gentium communis fuit, expiationis vel notio aliqua vel notionis reliquiae supersunt etiam inter profanas gentes. Expiabantur enim tum crimina, tum delubra, ipsaque numina, ut palam sit, expiationem esse vindicationem solennem sanctitatis maiestatisque Numinis, quae, ybi non sit puniendo delicto, sed ritu aliquo, notat, superfluisse penes illos, a quibus talia instituta profecta sunt, aliquid de doctrina patriarchali. Nam si verum est, quod sane ita est, Deum ipsum, postquam clementiam hominibus promiserat, ordinasse certum cultum, de quo ipse affirmavit, quod in eo insit protestatio de sanctitate et seueritate Dei, quodque idem ad obtinendam delicti veniam valere debeat: bene concipi potest, quomodo notio expiationis per sacros ritus, veluti per lustrationes, victimas, haerere potuerit in eorum etiam animis, qui patrum traditiones nec integras retinebant, nec mutare et suo ingenio interpretari sibi religioni ducebant. E contrario nullo modo intelligitur, quomodo de expiationibus gentes cogitare potuerint, multo minus quomodo tam communis de iis sententia nasci et permanere potuerit, nisi a maioribus ducta auctoritas et vetustas opiniones de tali cultu commendasset. Frustra sunt, qui sacerdotum astutiam et callida commenta iactare solent, a quibus fluxisse volunt omnes gentilium religiones. Nam hae sacerdotibus, quos volunt, longe vetustiores sunt, neque etiam vetustissimis temporibus ulli sacerdotes fuerunt, sed constat, sacra pro se suaque domo vnumquemque fecisse. Quare sacerdotes gentilium quidem cultus multiplicarunt, in formas certas redigerunt, suisque erroribus recentius inuectis accommodarunt. At vero primas et veluti radicales notiones de Numine solenni ritu colendo, placcando, expiando, non magis inuenerunt, quam opinionem de eo, quod sit Numen. Non vniuersam commenti sunt religionem, sed publice praefecti religioni sancte obseruandae popularem sensum religionis in suam verterunt utilitatem, nec non ad gubernandum populum et adiuuanda politica

politica instituta flexerunt, atque etiam errore, superstitione, libidine, multis modis mutarunt et foedarunt, quod vbi sit, tamen reliquiae quae-dam primae originis remanere solent.

Sed sentio, me nimis procul a via diuertisse. Inuitabat enim me rerum copia et vbertas, ad quas sermo Paulinus contemplandas deducit, illic respicit, et de iis admonet. Nec tamen tali digressione displicuerο legentibus. At ne nimis prolixus sim, nam infinite multa eius generis dici possent, reuertamur ad audienda Apostoli verba, vbi substitimus, C. III, 27-31.

Exposita et luculenter deducta vera ratione iustificationis hominum per fidem, quae praebetur gratiae Dei, quam offert per Iesum Christum, qui sua redemtione iustitiam diuinam honorauit, veniamque delictorum decore impertiendam credentibus impetravit, concludendo sic pergit: *Vbi ergo est gloriatio?* (An homini vlla de suis operibus gloriatio relinquitur?) *exclusa est.* *Per qualēm legēm? an operū? neutiquām, sed per fidei legēm.* (Manifestum est, legēm hoc loco metonymice pro *rērū constitutionē* seu *dispositionē* dici, quae quia per *doctrinā* patescit, et per *legēm*, pro iussu imperantis sumtam, determinatur, ipsa quoque commode, translata significacione, vocatur *lex*, effectu pro causa nominato. Metonymia haec in qualibet lingua vītata est. Dicere vult, an iustificamur ea lege, ea conditione, vt absque peccato simus? an ea lege et conditione, vt credamus, dum venia delictorum propter Christum offertur? Prius in homines non cadit, non in gentiles, sed nec in Iudeos, qui pariter arguuntur facto, testimoniis scripturae, ipsaque cultus expiatorii natura et indole.) *Colligimus itaque, fide iustificari hominem sine operibus legis* (nullo legis, qua opera praescribit, interuenit, nec eo, quod seruaueris legem, nec quod aliis operibus antea peccata expiaueris.) An hoc incredibile esse potest? an dedecet Deum? Aut Iudeorum an Deus modo est? annon etiam gentium? profecto etiam gentium. *Siquidem unus est Deus, qui circumcisos iustificabit ex fide* (fide, quam adhibent verbo diuino, quo a puero vtuntur) *et non circumcisos per fidem* (habitam verbo Dei iam ad eos perlato.) *Legēm igitur abolemus per fidem?* (an libris Mosis aut vlli parti Scripturae V. T. repugnans quidquam inducimus?) *abſit: sed legēm stabilimus.* (Confirmatiorem sic habemus legem 2 Pet. I, 19. quia docemus, quae in lege promissa et praefigurata sunt, ea in Iesu Christo reuera praestita et exhibita esse, ideoque iustitiam, quae olim tributa est fidei expectanti, nunc pertinere ad fidem promissa impleta acceptantem.

Iam operaे pretium est adhuc paululum subsistere. Nam verba modo allata, *fide iustificari hominem sine operibus legis*, a multis perpetram censentur contrariari asserto epistolae Iacobi, II, 24. *quod ex operibus iustus euadat homo, non ex fide solummodo.* Quapropter Romanenses solent b. Lutherum nostrum accusare, ac si ea re textum Paulinum falsauerit, quod verba reddidit: *So halten wir es nun, dass der Mensch gerecht werde ohne des Gesetzes Werke, ALLEIN durch den Glauben,* quasi Paulus dixisset: *hominem iustificari sine operibus SOLA fide.* Egregie ineptum est existimare, si qua sit inter Paulum et Iacobum repugnantia, eam tolli, demendo e versione verbo *sola*. Nam quia Paulus hucusque in epistola sua illam disiunctionem supposuit, hominem iustificari vel ex operibus legis, vel fide in promissum gratiae; attamen alterutrum prorsus sustulit, dum ait, id fieri *χωρὶς ἐγγράφων νόμου*: an quidquam reliquit, nisi *solanam fidem?* Annon perspicuum est, quod sustulerit etiam iustificationem e fide et operibus simul, si quis hanc, ut membrum tertium et mixtum, disiunctioni superaddiderit? Lutherus quidem cur in versione aduerbiū *ALLEIN, solummodo*, addiderit, cordato obscurum non est. Nam flumini orationis in versione sua solet operam dare, et haec insignis laus et commendatio versionis Lutheri ab initio fuit et manebit, quod perspicue et placide ad genium linguae Germanicae fluat. Quam ob causam quia transposuerat verba graeca, et praeposuerat *obne des Gesetzes Werke*, accommodatum est ingenio linguae nostrae, post exclusum alterutrum sequenti, quod solum relinquitur, praemittere particulam exclusiū *allein*, et si mere explanatiua est, et per pleonasmum ponitur, ac Germanis visitatum. Quae si offendit Romanenses, rogo, ut deleant, videantque, an propterea alium exsculpere sensum valeant, et an quidquam exinde peti possit, quo desperatae causae doctrinae de merito operum, congrui, condigni, supererogationis, consulant, quae commenta sane nec ex dicto Pauli, nec ex dicto Iacobi, sed longe aliis ex causis, magnamque partem ex ignoratione usus et potestatis verborum *merere, satisfacere*, apud veteres profecta, et ingenio Scholasticorum ad palliandos vulgares errores aptata sunt, quod nunc edisserere longum foret, et ex parte, quantum satis est, in superiori programmate iam monuimus. Innoxie Lutherus addidit particulam explicantem *allein*, quemadmodum eam Deut. XXXII, 3. adiecit: *Gebt unserm Gott ALLEIN die Ehre.* Idem Alexandrini nonnunquam fecerunt, veluti Gen. III, 11. 17. τεττατοι MONΟΥ μὴ Φαγεῖν Deut. VI, 13. ἀνττοι MONΟΙ λατρεύσεις. Quodque, vbi in textu insinuatur exclusio, ea ad probandum recte adhibeatur, siue verbo expressa sit, per adiectuum vel particulam exclusiū, siue minus,

minus, inter alia ipsius Domini exemplo patet, qui citata Mosis verba non secus allegat, ac si enuntiatio exclusiva expressa esset Matth. IV, 10. Sed ad rem veniamus.

Atque fateor, mirum mihi saepe visum esse, cur tam multis placeat Iacobum cum Paulo committere, non item Iohannem? Iohannes enim annon idem dixit: μηδεὶς πλανάτω ὑμᾶς ἐπιγνῶν δικαιοσύνην, δίκαιος εστι, 1 Io. III, 7. Sed et Paulum statim audiemus fatentem, Abrahamum etiam ex operibus iustum factum esse C. IV, 2. Res profecto nihil haberet difficultatis, nihil obscuritatis, nisi hodie praeuenti legeremus et praecupati contentionibus. Nam verba Graecorum in ὡς transitiva sunt, et respondent coniugationi Ebraeorum transitivae. In omni lingua usitatum est, verba transitiva, et quidquid his aequipollat, adhibere, tum ubi quid efficitur, tum ubi declaratur, narratur, docetur, immo quoque ubi fingitur. E. g. maiorem facit exercitum cum rex, qui plures milites congregat, tum historiae scriptor, qui maiorem inducit. Sic, inquam, iustum facit tum id, per quod possidetur iustitia, tum is, qui pro iusto declarat, qui alicuius iustitiam agnoscit, nec non qui docet iustitiam et ad illam instruit. E. g. Dan. XII, 3. בָּצְדִיקִים רֹבְבֵינוּ quasi iustificantes multorum, sunt instructores et ductores multorum ad iustitiam. Luc. X, 29. ὁ Θέλων δικαιών ἔαυτὸν εἰσεῖσθαι εἰς τὸ δοκεῖν εἶσθαι εἰς τὸ δικαιοῦντες ἔαυτὸν ἐγώπιον τῶν εἰς θεώπων. ὁ δὲ Θεὸς γνώσκει τὰς καρδίας ὑμῶν, idem est atque: *Vos estis, qui iustitiam vestram ostentatis coram hominibus, eamque his persuadetis: sed Deus nouis animos vestros.* Matth. XII, 37. Εὐ τῶν λέγων σὺ δικαιωθήσῃς, ναὶ ἐν τῶν λέγων σὺ καταδικασθήσῃς, e verbis tuis agnosceris, ut iustus, et e verbis tuis argueris et damnaberis. \*) Sic quoque supra C. III, 4. τὸ δι-

## B 3

\*) Illustrationi etiam inseruit locus Apoc. XXII, 11. attamen cum cautione aliqua. Versio vulgata habet: *et qui iustus est, iustificetur adhuc, et sic quoque textus graecus, quemadmodum ab Erasmo editus est, quem vulgo sequuntur: ναὶ ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι.* Quae lectio graeca si pro certa sumi posset, conficeret sane, δικαιωθήσεις iustificari, hoc loco accipi pro eo, quod iustus, h. e. homo vere pius, maiores in omni bono profectus facere, atque sic re et opere iustus ostendi debet, quemadmodum sequentia ναὶ ὁ ἀγαθὸς ἀγαθωθήτω ἔτι, eandem rem alio cogitandi modo enuntiant, vti ante de improbus pariter duplice formula dictum erat. Sed fide codicum dubitari nequit, legendum esse: ναὶ ὁ δίκαιος δικαιοσύνην παραχάτω ἔτι, et iustus iustitiam faciat amplius, quemadmodum Bengelius edidit. Vid. eius apparatus criticum ad Novum Testam. ad h. l. estque probabile, quod Bengelius conicit, biam in codice graeco, quo Erasmus usus est, ex verhone Latina a viro suppletum, ideoque iustificetur redditum esse δικαιωθήτω. Quidquid sit, faltem

## XIII

*ναυθῆναι, iustificari*, de Deo ipso dicebatur, videlicet quatenus iustitia eius recte agnoscitur, contra vanas hominum criminationes et querelas. Similiter Christus sapientiam Dei ait a filiis suis omnibus *iustificatam esse*, i. e. in causa omnium demonstratam, et in clara luce positam esse, quamquam iniqua et peruersa illa *γένεσις* Iudeorum semper arripuit, quod reprehenderet, primum in Iohanne Baptista, deinde in Domino ipso, Luc. VII, 35. *νοήστις ἀδικία θητὴ ἡ σοφία αὐτοῦ τὸν τέκνων αὐτῆς πάντων*, quod optime b. Bengelius vertit: *Und die Weisheit hat sich zu rechtsfertigen gehabt aller ihrer Kinder wegen.*

In foro igitur vbi iustificationis mentio fit, intelligetur hoc verbo a parte iudicis vel agnitus iustitiae, si quis iustus sit, vel venia delicti et abolitio accusationis, si iniustus, attamen dimittendus et in gratiam Domini recipiendus sit. In vita communi videndum est, quo contextu, qua circumstantia dicatur, ut pateat, an de eo, quod iustitiam constituit, an de eo, quod eam declarat, doceat, aut reo veniam peccati tribuat, vox iustificationis adhibeat.

In deductione itaque Paulina, quam hucusque contemplati sumus, agitur de eo, quod Euangelium Christi sit virtus diuina ad saluandos credentes. Id vero duo complebitur. Alterum est, quod homo coram tribunali diuino non sit iustus operibus suis, sed iustus declarandus Christi causa, propter expiationem peccati ab hoc praestitam, quemadmodum in lege promissum fuit, attamen ea lege et conditione, ut credat et submisse acceptet hanc Dei clementiam, quod tractatur Cap. I-IV. Alterum deinceps est, quod exinde omnis generis salus ducatur C. V-VIII. Necesse itaque est, Paulum verbo *δικαιούσης, iustificare*, sensu forensi vti, ut sit *iustum declarare*, notetque sententiam Dei iudicis, tanquam e tribunali latam, qua, quia hominem suis operibus iustum agnoscere non potest, peccata illi remittit, iustumque pronuntiat illum, qui fide acceptat iustitiam Dei, quam clementer et inex cogitabili modo paravit in suo Christo, Domino nostro. Disputat autem contra eos, qui iustitiam operum humanorum statuere conabantur.

Vtinam ergo Romanenses agnoscerent, haec Pauli verba etiam sibi dicta esse. Nam etsi Christum a iustificatione non exclusum volunt; tribuunt

saltem ex latina versione vulgata patet, *iustitiam facere*, quod per Ebraicum dicitur, etiam reddi potuisse per *iustificari*, quod quoniam ex Graeco *δικαιούσης* fluxit, exemplo est, hoc notare *iustum fieri*. Sitne forensi sensu sumendum, quod frequentissimum est in libris sacris, an alio modo, contextus et scopus in unoquoque loco docebit.



buunt tamen operibus humanis honorem, cuius ne capaces quidem sunt, ut mereantur remissionem peccatorum, vt satisfaciant pro peccatis, ut peccatorem liberent ab ira futura, et salute aeterna dignum faciant, quod quomodo fiat sine contumelia Christi, sine contemptu iustitiae Dei, nobis in Christo decretae, videant. Nam olim in die Christi non valebunt opes, arma, fastus; sed veritas, nemini iam obtrudenda, saluabit, qui ipsi obtinperarunt, damnabit, qui ipsam spreuerunt, vel falsarunt.

E contrario in epistola Iacobi occasio et ratio dicendi longe alia est. Iacobus disputat contra otiosos fidei in Christum iactatores, neque id agit, ut doceat, quomodo impetretur remissio peccatorum, sed quomodo viuendum sit Christiano, satisne sit, veram religionem profiteri, an ad eius praecepta vitam componere debeat? Inter Ebraeos agebat, apud quos *iusti* dicuntur, qui veram in Deum pietatem tenent, eaque Deo cari sunt, quae pietas qualis sit, ex toto Dei verbo discitur, estque in hoc ipso posita, ut toto animo credas verbo Dei atque etiam obtemperes. Arguere igitur hypocritas voluit, quod non sint *iusti*, nisi qui faciant iustitiam, quapropter dixit, ad hoc, ut *iustus* quisquam sit, non sufficere fidem seu professionem verae religionis, sed obtemperationem requiri, *operibus iustum esse* et demonstrari oportere, qui *vere iustus* sit. Agit ergo Iacobus de partibus constitutiis verae pietatis, non de causa instrumentalis vel conditione proxima remissionis peccatorum. Quomodo igitur ea re offendimus? Tam obtusi ingenii sumus, ut, quum pleraque in qualibet lingua voces πολυτρηψι et grammaticae aequiuocae sint, sitque usitatissime alia significatio ex alia per tropum ducta, non animaduertamus, qua de re unoquoque loco dicatur? In libris humanis quis in tali interpretatione haesitat? Iacobus ab inculcato dilectionis Christianae officio transit ad reprehendendos eos, qui professione Euangeli sibi videbantur Christiani esse. Hos inutilia Ecclesiae membra esse ait, sed et docet, talem fidem ipsis nihil profutram esse. Id vniuersitate complectitur v. 14. Quam inutilia Ecclesiae membra sint tales homines, exponit v. 15. 16. Vanitatem persuasionis ipsorum monstrat a priori, quoniam necesse est, fidem operosam esse, v. 17. 18. et a posteriori per deductionem ad absurdum, quod fidem in Deum etiam daemonia haberent, si praeter assensum, qui veritati dogmatis de Deo praebetur, nihil opus esset v. 19. Propter inutilitatem appellat talem fidem mortuam, v. 17. et 20. sed et docet, commentum eius ab omni testimonio antiquitatis abhorrente. Quod ut planum fieret, opportunissimum erat ante omnia Abramum allegare, qui instar omnium est, sed et difficillimis obedientiae documentis spectatus est v. 21 - 23. Qua occasione recte locum communem elicit; ecquis enim non agnoscat,

Abraha-

## XVI

Abrahami vestigiis ab omnibus fidelibus insistendum esse? videte ergo, quod ex operibus iustus redditur homo, non ex fide duntaxat, seu, quod idem est, hominis pii, adeoque boni Christiani (nam talis Ebraeis dicitur iustus) non modo est recte credere, verum etiam recte agere. Addit aliud exemplum, ex quo constaret, omni memoria ad pietatem fuisse requisitum non tantum recte credere, sed et recte agere, idque quasi ab altero regionis piorum extremo repetit, nempe ab eo genere, quod minimum videatur, quemadmodum Abrahami exemplum e maximis est. Prudenter hoc sit, ne quis tergiueretur in exemplo Abrahami, ut fieri solet, hominesque maxime modesti videri volunt, quum sunt maxime impudentes et ignavi. Etenim facile aliquis dixerit, absit, ut cum Abrahamo comparari velim, sed an pius nequeo esse, et si nondum sum ut Abraham? Quare pro exemplo etiam vtritur fide Rahab, foeminae Cananæae, et tunc in primis fidei initis versantis, cum antea turpem egisset vitam, sed per magnalia Dei, quae in gente Iudaica contigerant, ad veri Numinis reverentiam se adduci passa esset. In tenui eius cognitione de Deo tamen, quia in ea erat fides seria et vera, statim admirabili opere vim fidei ostendit, quia propter causam Dei suam ipsius vitam summo periculo exposuit v. 25. Tum Iacobus claudit sermonem v. 26. repetendo et grauius pronuntiando, quod v. 17. 20 dixerat, inter veram pietatem, in qua coniuncta sunt recte credere et recte agere, falsamque illam, quae fidem iactat sine dignis operibus, tantundem interesse, quantum inter hominem viuum spirantemque et corpus exanime, quippe quod hominis speciem haber, sed homo non est.

Proxima scribendi occasione veniemus ad iustitiam fidei, qualis in Abrahamo fuit, accuratius intuendam, deinceps ad reliqua eo, quo coepimus, modo progrediemur. Iam indicimus coniuxa sacra die festo nativitatis D. N. I. C. pie celebra, et audita hora XII. solennem orationem in templo Paulino habendam. Dicer Nobiliss. SIGISMUNDVS FRIDEMANNVS CAROLVS ROTHVS, Querfurtensis, S. Theol. Stud. de tristissima omnium religionum facie, quae erat tum, quum Christus nasceretur. Ad quem benevolè audiendum ILLVSTRISSIMOS COMITES, PROCERES VTRIVSQUE REIPUBLICÆ GRAVISSIMOS, Cives nostros Generosissimos, Nobilissimosque, omnesque rerum nostrarum Fautores, humanissime inuitamus, et libenter quidem confidenterque. Nam eximius hic juvenis ingenium et studium audientibus utique probabit, nobis vero dudum sic probavit, ut de eo insigniter speremus, eumque Fautorum attentioni cupiamus commendatissimum esse. P. P. Lipsiae Dom. IV. aduent. A. N. C. CICIOCLXV.

---

LIPSIAE,

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Fe 3031  
S

ULB Halle  
005 217 547

3



W W.C.





D. CHRIST. AVG. CRVSII

OBSERVATIONES

DE

V S V

VOCABULI NOMΟΣ, LEX,

S I G I L L A T I M

IN EPISTOLA S. PAVLI

SECTIO SECVI

PROPOSITA

IN ACADEMIA LI

FESTO NATIVITAT

CICCI CIX

